



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiae Activae**

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

Caput IV. De Communione Oeconomica, & officiis, quae illa Conjugibus,
Parentibus, Liberis, Propinquis, Heris & servis praescribit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501

faciendi. Neque pudore intempestivo nimium inopiam suam tegant, neque impudentia ignavia indecora aliis graves sint. Et cum aliter Reipublicæ prodesse nequeant, *precibus* pro communi salute tempus viresque suas impendant. Benefactoribus autem suis gratos se exhibeant, atque eorum salutem æternam, quibus corporis eorum cura est demandata, ardentibus suspiriis a Deo efflagitent.

CAPVT QVARTUM.

De Communione Oeconomica,
 & officiis, quæ illa Conjugibus,
 Parentibus, Liberis, Propin-
 quis, Heris & Servis, præ-
 scribit.

ARGUMENTUM.

Post generalem capituli divisionem §. 1. agitur

I. De vinculo naturali 2---35. eoque triplici

A. CONJUGUM 2---19.

1. Fundamenta obligationis eorum indicantur 2. 3.

2. Obligationes ipsa enumerantur 4---19.

a. Personarum contrahentium requisita 4---8.

Ll 2

a. Ge-

a. *Generalia* 4. 5.

N. Monogamia 4.

⌋ Gradus permiffi 5.

β. *Specialia* 6---8.

b. *Officia ipsa* 9---19. *observanda*

a. *In matrimonio contrahendo* 9---
11.

β. *In ejus confervatione* 12---16.

N. *Communia sub nomine Amoris*
conjugalis 12---14.

⌋ *Particularia* 15. 16. *qua competunt*

a. *Marito* 15.

b. *Uxori* 16.

γ. *In ejus diffolutione* 17---19.

N. *Inter vivos* 17. 18.

⌋ *Per mortem* 19.

B. PARENTUM & LIBERORUM 20---
30.

1. *Fundamentum obligationis* 20.

2. *Obligaciones ipse* 21---30.

a. *A parte Parentum* 21---25.

a. *Officia ipsa recensentur* 21---24.
considerata sub schesi Domini

N. *Sancti* 21---23.

⌋ *Æqui ac benigni* 24.

β. *Momentum eorum urgetur* 25.

b. *A parte Liberorum* 26---30.

a. *Officia recensentur* 26---29.

N. *Honor* 26---28.

⌋ *Amor* 29.

β. *Vincula obligantia adduntur* 30.

C. PROPINQUORUM 31---35.

- I. *In linea ascendente* 31. 32.
2. *In linea collateralis* 33---35.
 - a. *Fratrum & sororum* 33. 34.
 - b. *Reliquorum Cognatorum* 35.
- II. *De vinculo libero inter HEROS & SERVOS* 36---42. *Ubi*
 - A. *De Dominio Herili* 36---39.
 1. *Fundamentum ejus indicatur* 36.
 2. *Officia recensentur* 37. 38.
 3. *Argumenta obstringentia adduntur* 39.
 - B. *De obsequio Servili* 40---42. *quod*
 1. *Describitur* 40---41.
 2. *Argumentis adstruitur* 42.

I.

Bono publico Reipublicæ subordinatum est Bonum privatum FAMILIARUM, ex quibus Civitates coalescunt. Cum autem illæ ex diversis personarum generibus constent, inde variæ novæ *Relationes* nascuntur, hoc ordine recensendæ, ut a *propinquiore* ad *remotiores* pergamus. Ad priores pertinent vincula *naturalia*, quæ tum inter *Maritos & Uxores*, tum inter *Parentes & Liberos*, tum inter reliquos *Cognatos* nexa sunt. Ad *posteriores* referimus *Obligationes* inter *Heros & Servos* observandas.

II. Omnium antiquissimum proximumque Vinculum est, quod Creator statim a rerum initio inter *CONJUGES* posuit. Supponimus hic *MATRIMONIUM* non solum esse licitum, sed etiam statum a Deo *institutum* & naturæ hominis ita convenientem, ut in se consideratus *Cælibatu*

fit perfectior. Sic sane se res habuisset, si homo non fuisset lapsus. Per peccatum autem contigit, ut aliquando *Cœlibatus Matrimonio* sit præferendus, aliquando autem *Conjugium* absolute sit necessarium 1. Cor. VII. 1. 2. 7. 8. 9.

III. Deus, qui Matrimonium instituit, sanctas eidem *Leges* panxit. Illæ ex *Fine* ejus sunt deducendæ. *Primarius* Matrimonii ante lapsum scopus erat *quæsitio Seminis Dei* Mal. II. 15. *Per accidens* post lapsum accessit *mutuum adiutorium & tentationum evitatio*. Convenienter his Finibus, ac præsertim primario, tum de *personis* contrahentibus, tum de *officiis* earum erit despiciendum.

IV. In *Personis* contrahentibus præter *qualitates físicas* ad Conjugium requisitas, *qualitates* quædam *morales* eæque tum *generales* tum *speciales* requiruntur. Ad priores *primo* pertinet, ut *unus* vir *uni* fœminæ jungatur, quo pacto omnis tam *Polygamia*, quam *Concubinatus* e Republica Christiana proscribitur. Sic primævam institutionem explicuit Servator Matth. XIX. 4. 5. 9. Ipsum dictamen conscientiæ huic veritati favet, quod non solum *a posteriori* per experientiam ostendit, quam salutaris hæc Dei institutio generi humano sit; sed etiam *a priori* docet, eos, qui *una caro* sunt, reciproco in se invicem possessionis jure gaudere. Sicut ergo corpus uxoris est peculium Viri, ita etiam corpus Viri est peculium uxoris 1. Cor. VII. 4. Exempla Patriarcharum non debemus *imitari* sed *excusare*, tanquam ex imprudenti prolis desiderio prognata. Sed directe quoque vituperanda Regum *Davidis* ac *Salomo*

monis exempla, tanquam expressæ Legi divinæ contraria Deut. xvii. 17.

V. Porro GRADUS consanguinitatis & affinitatis *Incestui* oppositi observari debent, prout illi Levit. xviii. & xx. sunt explicati. Magna tamen hic distinctio requiritur inter Gradus in linea *recta* & in linea *collaterali*. Priores ipso *jure natura* sunt vetiti, posteriores *jure duntaxat positivo*. In prima enim origine, ut fratres & sorores conjugium inirent, necessarium fuit. Generale fundamentum Graduum est *proximitas sanguinis*, unde infertur, quod Leges a Mose consignatæ ad gradus æquales non expressos etiam extendendæ sint. Quoad lineam tamen *rectam* accedit reverentia *Paternitatis*, quam *descendentes adscendentibus* debent.

VI. *Specialius* autem & earum *qualitatum* habenda est ratio, per quas tam *hujus*, quam *futura* vitæ felicitas promoveri potest. Hujus vitæ prosperitas non parum inde dependet:

(1) Ut tibi jungas, quantum circumstantiæ permittunt, *equalem*, tam *annis*, quam *conditione vitæ*, *divitis*, *educatione*, *moribus* Luc. I. 7. I. Sam. xviii. 23. In quibusdam tamen casibus conditionis inæqualitas, qualis v. gr. obtinet in matrimoniis ad *morganaticam*, non potest simpliciter rejici.

(2) Ut pars, quam tibi eligis, bona fama gaudeat Prov. xv. 30. xxii. 1. Ruth. i. 11. 11.

(3) Ut magis semper *internas animi*, quam *externas corporis* dotes requiras. Quid sit *pulchritudo* absque sapientia & virtute, docetur Prov. xi.

22. xxxi. 30. Neque *divitia & nobilitas* plus tranquillitatis dare queunt.

(3) Prudentia tamen requirit, ut inopia in futurum præcaveatur; unde non facile probanda sunt conjugia eorum, qui sibi invicem de alimonia prospicere nequeunt.

VII. Ne vera animæ beatitudo detrimentum capiat, Conjugium non incatur nisi inter personas ejusdem *Religionis veræ*, aut saltem in *Fundamento fidei* convenientes, exclusis matrimoniis *idololatricis & Antichristianis*.

(1) Deus Conjugia cum *idololatriis* exserte prohibuit Deut vii. 3.

(2) Ira Dei per illa provocatur, uti patet ex mundi antediluvianæ exemplo Gen. vi. 2. 3. Hinc zelus Esræ & Nehemiæ ortus est Esr. ix. 2. 3. x. 2. 3. Nehem. xiiii. 25--27.

(3) Non possunt aliter *in Domino* conjugium inire.

(4) Fructus pessimos talia matrimonia ferunt. *Seductioni* enim periculosissimæ janua aperitur 1. Reg xi. 2. 4. Nec tantum anima conjugis sed etiam liberorum periculo maximo exponitur 2. Chron. xxi. 3. Et quamvis utrumque providentia divina impedire velit, animorum tamen harmonia adesse nequit: sed nec adesse debet 2. Cor. vi. 13--16.

VIII. Optima sunt Conjugia inter tales, qui præter animorum & externæ Confessionis unionem simul *Communions Sanctorum* participes sunt, uti Abrahamus & Sara, Isaacus & Rebecca, Zacharias & Elisabetha, Priscilla & Aquila Rom. xvi. 3. Vix sane potest comprehendi, quomodo
tener-

tenerrimus ille affectus, qui conjugatos unit, in anima fideli suboriri queat erga personam, quam ejusdem dilectionis Domini esse participem saltem sperare non licet. Temerariam autem eorum spem esse, qui confidunt, quod instrumenta esse queant conversionis aliorum, tristes experientia docet.

IX. FOEDUS CONJUGALE, quod inter tales personas erigitur, latissime patet. Ad tres classes *officia*, quæ involvit, referimus, Alia enim circa ejus *coalitionem*, alia circa ejus *conservationem*, alia circa ejus *dissolutionem* observanda sunt.

X. Ad *Coalitionem* spectat *preparatio*. Illa est vel *remotior* vel *propinquior*. *Remotior* requirit

(1) Ut auxilium atque ductus Domini seriis precibus imploretur Gen. xxiv. 2. xxviii. 3. 4. præsertim quia conjux prudens inter dona divina adnumeratur Prov. xix. 14. Digitus quoque Dei in hoc negotio efficaciter solet apparere Gen. xxiv. 50.

(2) Ut prudentia affectuum impetum cohibeat, ne per illos a debita circumstantiarum exploratione impediamur.

(3) Ut *consilium* amicorum spectatæ prudentiæ & fidelitatis ac sigillatim *Parentum* in medium adhibeatur. His enim id muneris, ut liberis tempestive de matrimonio prospiciant, est demandatum Deut. vii. 3. Jerem. xxix. 6. Idem confirmant exempla piorum Isaaci Gen. xxiv. Jacobi Gen. xxviii. 1. Simsonis Jud. xiv. 5. Quare Pontificii impie hunc ordinem divinum per *vota humana* infringunt.

XI. *Preparatio propinquior* comprehendit

(1) *Dispensationem*, quæ in populo Dei quodam tempore honestatis causa ipsas nuptias præcessit, uti liquet vel ex ipsius Matris Domini nostri exemplo Luc. 1. 27. In illa de *Dote* æqua disponendum est. Abinde *Relatio propinquior* inter *Sponsum* ac *Sponsam* incipit, ut animi paulatim *casto amore* coalescant. Eo magis autem in illa *Relatione* puritati ac pudori litabunt piæ animæ, quoniam *Statum Desponsationis* Scriptura sigillatim in symbolum casti Amoris Christi & Ecclesiæ adhibere solet.

(2) *Copulam*, quæ apud Christianos passim *Benedictione Pastoralis* solet confirmari. Quamvis enim illa de essentia Matrimonii non sit, negati tamen nequit, quod decorem huic actui conciliet, & quod pulcherrimam ansam *Statum* hunc ab invocatione nominis divini inchoandi exhibeat. Obicem etiam ponit *Matrimonii clandestinis*, quæ parum a concubinato differunt.

(3) *Nuptias*, quæ ab antiquitate omni lætitiæ & conviviis celebratæ fuerunt, uti liquet ex Jacobi, Simsonis & aliorum exemplo Gen. xxix. 12. Jud. xv. 11. 12. Ipse Servator nuptias præsentia sua honoravit Joh. 11. 2. In illis tamen modestiæ ac temperantiæ Leges eo magis sunt observandæ, quoniam *Conjugium* per *Preces* inchoandum, & nihil inauspicatius esset, quam statim sub ejus initiis iram Dei luxu, crapula, ebrietate, lascivis tripudiis, aliisque peccatis provocare velle.

XII. *Officiorum*, per quæ vinculum conjugale conservatur, alia Viro & Uxori *communis* sunt, alia

alia *singulis* competunt. Priora comprehendit AMOR CONJUGALIS Eph. v. 28. 29. 1. Cor. vii. 33. 34. Ille autem per naturam suam est tenerrimus 2. Sam. i. 26. Omnia quoque alia vincula solvit Gen. ii. 24. Pf. xlv. 11. Hinc *uxor sinus mariti & maritus sinus uxoris* alternant Deut. xxviii. 54; 56. Et in emblema vehementissimi amoris inter Christum & Ecclesiam hic amor ponitur Cant: viii. 6. 7. Quare etiam talibus actionibus demonstrari debet, quibus Coniuges reciproce tam *temporalem* quam *eternam* alterutrius salutem promovere incumbit Prov. xxxi. 12.

XIII. Ad promotionem *salutis temporalis* spectat:

(1) Ut *pacifice* & blande absque rixa cohabitent 1. Petr. iii. 7. Prov. xxxi. 12.

(2) Ut *fidem* sibi invicem datam intaminatam conservent Hebr. xiii. 4.

(3) Ut officium *conjugale* sibi invicem præstent 1. Cor. vii. 5. sq. idque ἐν ἀγιασμῶν ἡ ἡμιῶν 1. Thess. iv. 4.

(4) Ut patienter imbecillitates suas invicem tolerant exemplo Abigaëlis 1. Sam. xxv. 31. 1. Petr. iii. 7.

(5) Ut primis affectuum contrariorum motibus resistent, quos inter eminent *Zelotypia*, multorum malorum scaturigo Prov. vi. 34. 35. Cavendum tamen etiam, ne alterutra pars affectui huic suspicionis justæ ansam suppeditet.

XIV. Multo magis promotio *salutis æternæ* cordi esse debet, absque qua vinculum Matrimonii
vero

vero fine destituitur ac brevissimæ durationis est
Luc. xvi. 34.

(1) Ubi alterutra pars nondum est regenerata,
tempestivis admonitionibus, precibus, exemplis
alteram lucrari quærat 1. Cor. vii. 12, 13, 14.
Petr. i. 2.

(2) Ubi utrique Conjugi gratia jam facta est,
tanquam *coheredes gratiæ vitæ* 1. Petr. i. 7. co-
habitantes, quicquid incrementum gratiæ impe-
dire ac tentationibus exponere potest, a se invicem
avertant, & media opus Domini promove-
tia sibi mutuo præstent 1. Cor. vii. 5.

XV. Officia **MARITI** particularis pertinent
ad exercitium *Domini Maritalis*, quod per le-
psum hominis rigorem quendam adeptum est,
quo antea carebat Gen. i. 16. Unde in ipso
N. T. vigorem conservat 1. Cor. xi. 3. 1. Tim.
ii. 13. 14. Nihilominus administratio ejus de-
bet esse :

(1) *Sancta*, in *Domino*, nihil, nisi quod Legem
divinæ congruit, exigens, ad exemplar Domini
Christi in Ecclesiam composita Eph. v.
22-24.

(2) *Æqua* ac conveniens imbecillitati Uxor
1. Petr. i. 7. quod involvit

(a) Blandam *familiaritatem* procul omni aspe-
ritate ac supercilio Col. iii. 19.

(b) *Curam* de necessariis hujus vitæ ei profici-
endi Ephes. v. 28, 29. Illa etiam eousque ex-
tendatur, ut uxor vel defuncto marito honore
placideque vitam agere queat.

(c) *Protectionem* ab injuriis secundum exem-
plum Jacobi Gen. xxxii. 13, sq. Davidis

Sam. xxx. 3. sq. & ipsius Christi Ephes. v.

23.

(d) *Correctionem* cum lenitate conjunctam, quæ tum quoque requiritur, quum aspera & rixosa est uxor, ac consilia placida respuit.

XVI. Uxorem vicissim decet huic ordini se subijcere per *obedientiam* 1. Tim. 11. 12. 1. Petr. 111. 5. 6. Est autem hæc obedientia

(1) Partim *activa* officia subjectionis hujus implens:

(a) Interne in *animo reverentiam* erga Maritum fovendo Ephes. v. 33. quæ signis etiam declaranda.

(b) *Institutioni* ejus se subijciendo 1. Cor. xiv. 35.

(c) In subordinatione sub Marito *rem familiarem* sedulo ac fideliter administrando Tit. 11. 4. 5. Ephes. v. 14.

(2) Partim *passiva*, quæ se submittit propter Deum.

(a) Omnibus illis incommodis atque afflictionibus, quibus sexus fœminetus per naturam conjugii magis est expositus 1. Tim. 11. 15.

(b) Duriori Mariti dominio, tacendo ac ferendo, quamdiu ipsa vita aut salus animæ in periculum non adducitur,

XVII. *Dissolutio* matrimonii fit aut per *violationem* vinculi conjugalis, aut per *mortem*. Prior est aut *totalis* aut *partialis*. *Totalis* non est præscripta nisi in solo *casu adulterii* Matth. xix. 3. 4. 9. Videntur quidem & alii casus esse permitti Deut. xix. 4. sq. Verum ex verborum tenore patet, illos casus non permitti sed nude supponi.

poni. Et id est, quod Servator Matth. XIX. 8. innuit.

XVIII. *Partialis* obtinet in *malitiosa desertione*, quam quidam Viri graves pro *totali* habent, Libertatem in quibusdam casibus v. gr. ubi pars desertio ob disparem Religionem patitur. Verum Scriptura id definiri nequit, quamvis ad I. Cor. VII. 15. provocetur. Apostolus enim illic non nisi de *separatione* in genere loquitur.

XIX. Vinculo autem per *mortem* rupto relictæ duæ parti in nova vota transire integrum est Rom. VII. 2. 3. I. Cor. VII. 39. I. Tim. V. 11. Superstitionis ergo fuit, quæ a *Montanistis* a quosdam Ecclesiæ Patres transit ex male explicito loco I. Tim. III. 1. *iteratas* Clericorum damnare nuptias.

XX. Matrimonii vinculum per liberorum procreationem origo est variarum relationum quas inter proxima est, inter PARENTES LIBEROS. Propter eam illis *Dominium* his *sequium* incumbit. Relationis hujus fundamentum atque scopus est *pia educatio* proles ad *gloriam Dei*.

(1) Hoc convenit cum scopo, in quem Deus per conjugium *multiplicari* genus humanum voluit, & quem homo rectus sibi proponebat *quærens semen Dei* Mal. II.

(2) Hoc requirit non solum *infirmam* per naturam, sed etiam *miserrimam* per peccatum conditio, in qua omnes liberi nascuntur.

XXI. Scopo huic a parte PARENTUM congruum est *exercitium sanctum & æquum* Dominum ipsis competentis. Ad *sanctitatem* referimus,

non solum a vera pietate non impediunt, nihilque Legi divinæ contrarium imponant, sed etiam *Educationem* universam ad timorem Domini suis instillandum dirigant. Talis autem *Educatio* præter *ardentes preces*, & accuratum virtutis *exemplar* requirit tum directe *Disciplinam* tanto fini congruam, tum indirecte *media* quædam, quæ eo faciunt, ut *Disciplina* illa salutarem effectum assequatur.

XXII. *Disciplina*, Παιδεία, quæ liberis debetur, comprehendit *institutionem* & *correctionem*.

(1) Ante omnia liberi a teneris *instituuntur* in viis ac Lege Dei, adjunctis feriis ad verum Timorem ejus admonitionibus Gen. xviii. 19. Deut. vi. 6. 7. Prov. iv. 3. 4. xxii. 6. Ps. lxxviii. 3-6. Parentibus autem ipsis capacitate debita destitutis, eo magis de aptis Magistris erit prospiciendum.

(2) Accedat *correctio* tum ad concupiscentias prævalentes attendendo, iisque mature obicem ponendo: tum graviter immorigerorum vitia reprehendendo: tum occasiones peccandi, mala consortia, luxum in vestitu, otium nimium &c. præscindendo, Sirac. xxvi. 13. xlvi. 11. tum aliquando etiam severe *castigando* Hebr. xii. Prov. xiii. 24. xxii. 15. xxiii. 13. 14. Omissio hujus officii per nimiam conniventiam atque lenitatem, quam exosa sit Deo, Eli expertus est 1. Sam. ii. 24.

XXIII. Ut eo magis liberi ad gloriam Dei adaptentur, externa quoque eorum prosperitas pro virili promoveatur.

(1)

(1) Statim a nativitate *miseriordia matris* laudatur Jes. xl. x. 16. quæ in lactando, aliisque molestiis, quas teneræ ætatis imbecillitas affert, exercenda erit.

(2) Mature ad frugalitatem ac laborem corpus infantum est adsuescendum.

(3) Certæ vitæ functioni, quæ *inclinationi* atque *viribus* liberorum convenit, sunt applicandi; qui ingenio pollent, *studiis*, qui destituti sunt, *opificus*.

(4) De alimentis necessariis iisdem prospiciendum Matth. vii. 9. 1. Tim. v. 8. etiam, quantum per providentiam divinam permissum est, in futurum 2. Cor. xii. 14.

(5) Protectionem ab imminentibus periculis Parentes liberis debent exemplo Jacobi Gen. xlii. 3.

(6) Curam singularem requirit prospectio liberorum de matrimonio Jerem. xxix. 6. 1. Cor. vii. 36. Illa licet *matri* in Jure civili adimatur, in sacris tamen tribuitur Gen. xxvii. 46. Jud. xiv. 2.

XXIV. *Æquitas* exigit, ut exercitium Domini paterni cum *benignitate & indulgentia* sit conjunctum. Ea fini.

(1) Evitanda nimia *asperitas* tam in animo, quod esset *asopyli*, quam in *verbis & gestibus* Prov. xix. 18. Ephes. vi. 4. Col. iii. 21. Quin potius aliquando ad minores lapsus connivendum, *præmiolis* quibusdam diligentia provocanda, *recreationes* concedendæ; si duntaxat sollicita accedat cura, ne exorbitationes atque abusus inde nascantur.

(2) Re

(2) Requirit hoc Dominium suos limites. Jugum difficilioribus postulatis præter necessitatem non aggravetur. *Ætatis ac dignitatis liberorum quoque habeatur ratio. Coactio præcipue in binis casibus, in Votis religiosis, contra praxin Pontificiorum, & in conjugis ineundis maximopere est improbanda.*

XXV. Maximi momenti officia hæc sunt.

(1) *Parentes* obstricti sunt ad occasionem, quam habent per liberorum suorum institutionem ad Regnum Dei amplificandum, avide apprehendendam.

(2) Liberi sunt *donum Dei*; adeoque illi reddi debent. Hinc primogeniti in Templo offerendi a Parentibus olim erant.

(3) Non possunt aliter liberos suos pro *donis divinis* habere Ps. cxxvii. 3. 4. Prov. xxi. 1. 24. 25.

(4) *Misericordia* est proprius Parentum affectus Ps. ciii. 13. Maximum autem misericordiae objectum esse debet miseria ac periculum, in quo liberi versantur, quamdiu adhuc semen serpentis ac filii Diaboli sunt.

(5) Egregia sunt exempla Abrahami Gen. xvii. 18. Parentum Servatoris nostri Luc. ii. 22. 41. Eunicæ & Loïdis 2. Tim. i. 5.

XXVI. Officia LIBERORUM Legislator sub verbo כבד, *Honorare*, exprimere voluit. Cum autem latissime illud pateat, hic notandum, quid sit HONOR FILIALIS? Ille quoad *objectum* *Matri* æque ac *Patri* debetur Levit. xix. 7. In circumstantiis tamen quibusdam Patri primus locus competit. Quoad *actum* autem *profundam*

M m

reue-

reverentiam, sed cum amore tenerrimo conjunctam involvit.

XXVII. Reverentia in corde debet radicem habere, & eatenus consistit in agnitione excellentie, quam Deus Parentibus præ liberis concessit. Animi sensus externis signis est declarandus:

(1) Per honorem eorum, præcipue absentium, ubi ille profcinditur, legitimam defensionem. Quæ etiam spectat, ut eorum naves non cum Chama revelemus, sed cum Semo & Sapheto verecunde tegamus. Sirac. III. 11-14.

(2) Per verba ac gestus venerabundos, exemplo Josephi Gen. XLV. 11. 12. & Salomonis 1. Reg. 21. 16.

(3) Per obedientiam actu præstandam Ephes. VI. 1. Prov. XXI. 22.

XXVII. Obedientia, quæ illis debetur, tam activa, quam passiva est.

(1) Obedientia activa se extendit etiam ad præcepta difficiliora. Hinc ad omnia extenditur Col. III. 22. Laudantur in hanc rem exemplo Isaacum Gen. XXXI. & Rechabitarum Jerem. XXXI. Ut tamen abusus illorum caveatur, notandum est Isaacum non tam Abrahamo, quam divina revelationi paruisse; Rechabitarum autem obedientiam relationem peculiarem ad Oeconomiam V. T. habuisse. Semper autem hæc obedientia limitata est ad illa, quæ præcepto divino non repugnant. Eph. VI. 1. dicitur in Domino. Adde Deut. XXXI. 9. Matth. X. 37.

(2) Obedientia passiva exercetur per subjectionem sub castigationibus atque reprehensionibus Parentum quæ etiam tum præstanda, quando justam met

furam videntur excedere, quoniam *patienter* eorum imbecillitates ferri debent.

XXIX. AMOR FILIALIS, *σοφὴν*, tenerri-
mus præ aliis est, propter vinculum naturæ, per
quod liberi pars Parentum sunt. Ille exer-
cendus

(1) Quoad *animam Parentum* precibus ar-
dentibus Deo commendanda. Aliquando quo-
ad Parentes irregenos aut contra mandatum Dei
impingentes accedere debent *piæ admonitiones*,
sed cum humilitate, prudentia, lenitate singulari
proponendæ.

(2) Quoad *externum* vinculum carnis & san-
guinis, amor hic involvit

(a) Ut Parentibus pro virili ea præstentur,
quibus liberi ipsis gratificari possunt. Id Isaacus
desiderabat ab Esavo Gen. xxv 11. 4.

(b) Ut ipsorum commoda promoveamus & da-
mnum avertamus Prov. xxv 11. 24.

(c) Ut eorum necessitatibus, præsertim in se-
nectute, morbo, paupertate consulamus; neque
eos fraudemus debita alimentacione, ne quidem
sub religionis prætextu Matth. xv. 4--6.

XXX. Fortissima sunt horum officiorum vin-
cula.

(1) Legislator momentum eorum ostendit,
dum primum inter præcepta secundæ tabulæ lo-
cum, addita luculenta promissione, ei concessit
Ephes. vi. 2. 3. Adde Prov. i. 8. 9. Eccles.
111. 30.

(2) Neglectus eorum inter summa scelera ad-
numeratur Ezech xx11. 7. Mich. vii. 6.

(3) Gravissima supplicia dictantur præcepti
M m 2 hujus

hujus transgressoribus tam *temporalia* quam *eterna*
Exod. xxi. 15. 17. Levit. xx. 9. Deut. xxvii. 16.
Prov. xxx. 17.

(4) Postulant id summa beneficia, quæ Parentum instrumento liberis conceduntur 1. Tim. v. 5. Obligatio hæc ingeminatur quoad Parentes pios, & adhuc magis quoad eos, quibus median-
tibus liberi vere ad Deum sunt conversi.

(5) Exempla Sanctorum ac præcipue Servatoris nostri tum in vitæ initio, tum in ejus fine
Luc. ii. 51. Joh. xix. 27.

XXXI. Sunt quoque aliæ personæ in familiis privatis, quæ de eodem cum Parentibus honore per vinculum naturæ participant, v. gr. *Suus & Avia, Socer & Socrus*, & aliquando *Majores* longius distantes Gen. i. 10. Hi sicut ad paria officia amoris nepotibus liberisve acquisitis obligati sunt Gen. xxx. 3. xlv. 7. ita & paria ab illis expectant, Ruth. i. 16. 17. absque præjudicio tamen *Parentum*, quamdiu in vivis supersunt. Irreverentia avi Noachi in *Canaanem* maledictionem gravissimam provocavit Gen. ix. 25.

XXXII. In Parentum defunctorum locum succedunt non solum *Virici & Noverca*, sed etiam *Tutores*, quorum relationem ad *pupillos* historia *Mardochei & Estheræ* eleganter illustrat. Hoc curæ singulari, præcipue *Magistratus*, commendat verbum Dei Exod. xxi. 22--24. Deut. xxv. 11. 15. Psalm. lxxxii. 3. Unde ratio eorum magis *politica* esse videtur. Cum tamen ex cognatis, ubi illi in promptu sunt, potissimum sumendi, & *pupillorum* ad illos filialis sit respectus, hic eos silentio transire nolumus.

XXXIII.

XXXIII. Porro ex matrimonio gignitur relatio inter FRATRES & SORORES. Hos ante omnia *concordiam* sectari fas est. Ad illam conservandam cavenda maxime est *invidia*. Officia autem, quæ *Amor fraternus* involvit, potissima sunt:

(1) Curam *fratrum* habere, secus ac Cainus Gen. IV. 9. Illa extendi debet ad ipsam *animam*, ne *dives epulo* contra nos restetur Luc. XVI. 28. Quoad *corpus* itidem requiritur non solum familiaris suavisque convictus, sed etiam ut egentibus alimenta subministrantur, exemplo Josephi ac Davidis: non exclusis vel *exhereditis* ac *spuriis*.

(2) Facilem se exhibere circa offensas fratrum spernendas aut remittendas Gen. I. 17--21. Idem supponitur Matth. XVII. 21. 22.

XXXIV. Argumenta id persuadentia ex ore Cyri eleganter profert Pædag. Lib. VIII. *Qui eodem semine prognati, ab eadem nutriti Matre, in eadem domo creverunt, & ab iisdem Parentibus diliguntur, eandemque Patrem & eandem Matrem appellant, qui fieri possit, ut non omnium sint conjunctissimi?* Sed adhuc plus Christianum persuadebit doctrina Evangelii:

(1) Quod *Deo pacis* id impense charum sit, uti declaratur Ps. CXXXIII. 1.

(2) Quod *Concordia fraterna* sit symbolum communionis sanctissimæ, tum Christi tanquam Primogeniti cum fidelibus, tum fidelium inter se

(3) Quod Scriptura *odia fraterna* tanquam turpissima depingat Prov. XVII. 19. Jerem. IX. 4. Ps. I. 20. Summum turpitudinis gradum illa

Mm 3

attin-

attingunt, quando odium illud propter pietatem exercetur, exemplo Caini Gen. i. v. & Ismaelis Gen. xxi. & fratrum Josephi Gen. xxxvii. quorum vestigia persecutores in N. T. premunt Matth. x. 21.

XXXV. Distant quidem ulterius tam *Cognati* quam *Agnati* & *Affines*, quive ex eadem *prosupia* orti. Sed Scriptura illos sub nomine *Fratrum* solet comprehendere Gen. xxxi. 23. 25. 37. Levit. x. 4. Jud. xvi. 31. Ezr. iii. 2. Job. xlii. 31. Matth. xii. 46--48. Rom. ix. 3. &c. ut nempe edoceat, paria pro graduum ratione omnibus esse præstanda; quo etiam loca citata collimant. Et quidni, quicquid *Proximo* debetur, illis exhibendum esse ante reliquos, qui inter *Proximos* propinquiores nobis sunt?

XXXVI. Alter ramus *obligationis Oeconomicae* comprehendit officia inter *HEROS* & *SERVOS* observanda. Circa *Fundamentum DOMINII HERILIS* notari debet:

(1) Quod relatio hæc ex peccato ortum trahat.

(2) Quod supponat *pactum* inter Dominum ac servum, unde omnia commercia, quibus *inviti* emuntur, vendunturve homines, illicita sunt.

(3) Quod *finis* ejus sit, ut discrimen, quod Providentia Dei inter *divites* & *egenos* fecit, ad communem Societatis salutem vergat.

(4) Hoc supposito relatio illa nihil iniqui habet, Deoque ipsi est probata, uti docent exempla Abrahami & Sanctorum servos alentium, ac *Leges*, quibus illa est circumscripta. Accedit quod

quod subordinatio politica absque hac domestica subsistere non posset.

XXXVII. Quod attinet Officia *Heris* præscripta, ante omnia illis incumbit, curam *animarum* & media ad institutionem in via salutis necessaria præstare, bonoque exemplo illis præire. Hinc ad illos extensum mandatum circumcisionis Gen. xvii. 13. Idem clare involvunt præcepta Eph. iv. 9. Col. iv. 1. Mali sane Dominorum mores animæ fervorum perniciosi sunt. Maxime cum servis piis secundum leges communionis sanctorum agendum est Philem. vs. 15 -- 17.

XXXVIII. Proximum est, ut *Dominium* ipsum æquanimiter exerceatur:

(1) In labore servis & ancillis imponendo, ne illis tanquam jumentis abutantur juxta *Senecam* Epist. 47. quo respicit remissio a labore, quam Legislator in Sabbati institutione iis prospexit.

(2) In compensatione tum *mercedis* tum *pœnæ*.

(a) Ad *mercedem* ante omnia requiritur *procuratio alimentorum* Prov. xxxi. 15. 1. Tim. 5. 8. Porro ea mercede, quam pacti sunt, nulla ratione sunt fraudandi Deut. xxiv. 14. 15. Levit. xix. 13. Jac. v. 4. Humaniter etiam illos, qui officio suo funguntur, tractandos esse, submonetur Sirac. iv. 35. Curæ circa ægros exemplum legitur Matth. viii. 6.

(b) *Pœna* aliquando in contumaces exerceri potest, verbis tamen non ad exasperandum sed ad corrigendum idoneis. Nihil aptius hic est ad temperandam iram, quam reminiscencia, quod *Dominum in cælis* habeamus, Eph. vi. 9. qui nisi

longanimitate circa nos uteretur, actum nobiscum esset. Quare & ad remittendum proci esse debemus. Hoc innititur Matth. xv. 11. 32--34.

XXXIX. Incentiva ad hæc officia sunt:

(1) Gratia Deo habenda, quod in conditione *heriti*, quæ tanto est commodior, collocaverit.

(2) *Equalitas* fortis omnium hominum est pensitanda, per quam *liberi* æque ac *servi* ab eodem Judice mundi absque ulla propolepsia iudicabuntur Apoc. vi. 15. Illa sigillatim sub Nov. Test. obtinet, in quo *servi* pari jure cum *heris* circa bona per Christum acquisita gaudent Gal. 111. 28.

(3) *Humilitas*, *patientia*, *æquitas*, virtutes ad essentiam sanctimoniam veram pertinentes, circa servos quoque debent exerceri.

(4) Deus tanquam summus *Δεσπότης* benignus cum *servis* tam *typicis*, Sacerdotibus Vet Testam. quam spiritualibus, quales sunt omnes fideles, agens, exemplum dedit omnibus *Heris* imitandum.

XL. Qui *servi* sunt, merito libertatem anhelant 1. Cor. vii. 21. Unde non facile putem integrum esse Christiano, ut in perpetuam servitutem se cuiquam addicat. Exemplum typicum *servi Hebraei* huc non pertinet. Quamdiu autem Providentia divina quendam *subiectum servumque* esse vult, tamdiu *fideliter* & congrue huic ordini se gerere debet. Quid eo pertineat, late explicant dicta Ephes. vi. 5. 6. 7. 8. Col. 111. 22. 23.

1. Tim.

1. Tim. VI. 1. 2. Tit. 1. 9. 10. 1. Petr. 11. 18. 19.

XLI. Ex illis inter se collatis conficimus

(1) Quod tam *duris*, quam *bonis* Dominis officia Lege Dei præscripta præstari debeant. Duplici autem reverentia præ aliis digni sunt Domini Deum timentes.

(2) Quod non solum *externa*, sed etiam *interna* officia circa illos requirantur.

(a) Ad interna spectat *reverentia*, *humilitas*, quod Apostolus appellat *cum timore & tremore obedire*, *simplicitas cordis*, id est sincerus amor, seu commodum Domini tam spirituale quam corporale promovendi studium, non habito respectu mercedis

(b) *Externe* jussa Dominorum *omnia* verbo Dei non repugnantia sunt expedienda, absque curiosa rationum inquisitione, aut contradictione, idque *fideliter*, exemplo Josephi in domo Potipharis, & *festinanter*, uti servi Centurionis Matth. VI II. 9. Quod si officio suo defuerint, culpam humiliter agnoscere ac deprecari debent Gen. XVI. 9.

(3) Quod interna limites obsequii humani, quos Lex Dei ponit, semper ob oculos versari debeant.

XLII. Ex iisdem locis argumenta talis subjectionis depromi possunt.

(1) Ut *blasphemia nominis* divini & *doctrina* præcindatur, quæ facile suboritur, quando veri fideles segnius his officiis defunguntur.

(2) Propter conscientiam, quia Providentia divina est agnoscenda, quæ sub illo ordine posuit.

M m 5

(3) Quo-

(3) Quoniam, etiamsi *merces* apud homines decurtetur, apud Deum illam exspectare possunt, qui in futura vita dabit *retributionem hereditatis*. Sed & in hac vita aliquando remuneratur fidelitatem suorum, quemadmodum afflictionem ac laborem manuum Jacobi respexit Genes. xxx. 42.

CAPVT QVINTVM.

De Relatione inter Praeceptores & Discipulos.

SUMMARIUM.

- I. Fundamentum hujus relationis indicatur §. 1. 2.
- II. Relatio ipsa describitur 3 --- 18.
 - A. Quoad animi cultum 3 --- 17.
 - I. Officia DOCENTIUM 3 --- 13.
 - a. Enumerantur 3 --- 12.
 - a. Requisite generalia 3.
 - β. Requisite specialiora 4 --- 12.
 - N. Quoad domesticam institutionem 4. 5.
 2. Quoad Scholas publicas 6 --- 12.
 - a. Earum necessitas urgetur 6.
 - b. MAGISTRORUM officia edisseruntur 7 --- 12.
 - a. In scholis infimis 8.
 - b. In ludis literariis 9.